America e Filippine -

Rau -

[illegible]

a f

C.W. Colarbon etc

879

Parla dell' America, del suo nome -
della divisione che ne fece Alessandro VI fra Spagnuoli e Portoghesi. ;
delle Filippine e del nome assunto da Filippo II - accenna al Brasile -

John Carter Brown
Library
Brown University

America pp. 7 - 10 - 18 - 19.

24501

CRISIS
IACOBI MICHALORI
CANONICI VRBINATIS.

DE

ERYCI PVTEANI

CIRCVLO VRBANIANO

In qua diſputatur, an ſit conſtituendum Dierum in Orbe principium ab ipſo Puteano excogitatum.

Ad Eminentiſſimum Dominum

IOANNEM FRANCISCVM GVIDIVM
Cardinalem a Balneo.



VRBINI, Apud Mazzantinum, & Aloyſium Ghiſonum.
Superiorum Permiſſu. M.DC.XXXII.

EMINENTISSIMO DOMINO
IOANNI FRANCISCO
CARDINALI A BALNEO

Iacobus Michalorus Canonicus Vrbinas
S. P. D.

SCRIPSI ad te, Eminentiſſime Domine, quid mihi videretur ſibi velle Puteanus ſuo Circulo Vrbaniano, eiuſque mentem, & conſilium elicere, & explicare pluribus conatus ſum, vt nomine tuo a me petierat Marc. Antonius Toſius peritiſſimus Medicus, cum hic Vrbini valetudini tuæ curandæ præeſſet. Nunc litteris, quas ad me nuper dedit eruditiſſimus Gabriel Naudæus familiaris tuus a libris, hortaris, vt aperiam, quid de hoc nouo Circulo ſentiam, ſi tamen nouus Circulus eſt, cum potius certo Meridiano nouum additum officium dicas. Faciam id quidem, vt tibi, cui nihil denegare poſſum, obtemperem, non autem ſtudio contradicendi doctiſſimo, & eloquentiſſimo Viro. Quem tamen hanc meam CRISIM non ſolum non ægre laturum, ſed etiam æqui, boniq. facturum ſpero. Nam præterquam quod ex Plinij iunioris ſententia nulli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur, ego non reprehenſurus, ſed iudicium ab ipſomet Putea-

no exploratum prolaturus hæc ſcribo. Sic enim ſui Libelli pagina 5. Lectores quos ad examen huius Circuli vocat, alloquitur: [Nunc igitur in negotio, quod omnes ſpectat homines, veſtrum, qui inter homines ingenio, doctrina, peritia eminetis, iudicium exploro. Prout quiſque vel iuuabit, vel monebit bene de publico merebitur.] Et recte quidem, vt philoſophum decet, cui nihil veritate carius, nihil antiquius eſſe debet. Imo ſcriptionem philoſopho magnopere dignam nullam puto, quæ in perquirenda, excutiendaq; veritate nõ laboret: quæ veritas cum velut aurum, ſed auro multo pretioſior in occulto ferme lateat, & non niſi aduerſis hinc illinc diſputationibus e ſuis latebris erui ſoleat, fertur illud,

Diuerſum ſentire duos de rebus eiſdem
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Præſertim cum in hac litteraria diſſenſione, ac pugna victoria ſemper ſit potior victo, quam victori. Sed rem aggrediamur.

Si ipſum nomen ſpectemus, nihil celſius, nihil hoc Circulo præſtantius excogitari poſſe fateor, cum ab VRBANO Pontifice Opt. Max. qui ad ſupremum dignitatis faſtigium virtutum omnium, ac ſcientiarum ornamenta prouexit, nominetur Vrbanianus: ſin autem rem ipſam perpendamus, valde vereor, ne pene ſit nullus. Ad quod verendum in primis hoc me mouet; quod Inuentor illius, dum illo ipſo dies ciuiles, qui Orbem terrarum circumeuntibus numero vel creſcunt, vel decreſcunt, exæquare contendit, in ipſorum dierum lucro, & iactura (ſua pace dixerim) hallucinatur, & errat. Diem autem ciuilem, ſeu νυχθήμερον, quod eſt in primis notandum, hic intelligimus illud temporis ſpatium, quo Sol ab ortu ad ortum, vel ab occaſu ad occaſum, vel a meridie ad meridiem, vel denique a media nocte ad mediam noctem conuoluitur. Si enim acciperemus pro illo ſpatio vigintiquattuor horarum, quo Sol integrum periodum perficit, nulla habita ratione Meridiani, vel Horizontis, vt faciunt Medici in ſuis Criticis diebus enumerandis, huiuſmodi dierum compendium, vel impendium nullum fieret. Dicit enim Puteanus, vno circuitu ab ortu in occaſum nauigantibus vnum diem in lucro eſſe, ab ortu in occaſum vnum interire: ſed contra.

ctra potius accidit. Ponam ipſius verba. Pagina 12. ſui Libelli ſic ait. [Etenim ab ortu in occaſum nauigantibus dies vnus vno circuitu in lucro eſt, ab occaſu in ortum vnus interit.] Pagina 13. loquens de hoc ſuo Circulo: [Demet tranſeuntibus quantum vnus in occaſum circulus addit; addet quantum vnus in ortum eripiet.] Eadem pagina idem bis,& pagina 16.bis idem confirmat. In quem quidem errorem incidit quoque ille ſuus amicus Gotfridus Vendelinus, qui etiam Calendarium ad meliorem, & faciliorem formam ſe redacturum pollicetur in epiſtola, quam ad eum ſcribit, Libello appoſita. Verba ipſius hæc ſunt. [Vt inter Breuiarij rubricas illa quoque cum primis neceſſaria lex emineat, vt quæ dierum, ſacrorumq; nauigantibus in Occidentem exemptilium, contendentibus in Orientem intercalarium formulas præſcribat.] Certum eſt enim, Orbem circumnauigantibus, ſi Orientem verſus pergant, vnũ ſupereſſe diem, deeſſe, ſi Occidentem verſus proficiſcantur. Breuiores ſunt enim dies ciuiles aduerſus Solem euntibus, longiores ſecundum Solis curſum commeantibus, vt oſtendit Plin. lib. 2. cap. 73. his verbis. [Eiuſdem Alexandri curſor Phylonides ex Sycione Elim mille, & ducenta ſtadia in nouem diei confecit horis, indeq; quamuis decliui itinere tertia noctis hora remenſus eſt ſæpius. Cauſa, quod eunti cum Sole iter erat, eundem remeans contrario præteruertebat occurſu. Qua de cauſa ad occaſum nauigantes quamuis breuiſſimo die vincunt ſpatia nocturnæ nauigationis ad ortum, vt Solem ipſum comitantes.] Hactenus Plinius. Quæ quidem dierum ciuilium breuitas in ortum, longitudo in occaſum cõtendentibus vno circuitu vnius diei ſpatium importat, illis quidem, qui in ortum, ad compendium, & lucrum, illis autem, qui in occaſum, ad impendium, & iacturam, vt demonſtrat Ioſephus Blancanus in Appendice 3. partis Coſmographiæ probl. 34. Hoc autem, quod toto ambitu nauigantes ad ortum verſus vnum diem lucrentur, amittant nauigantes ad occaſum verſus contra id, quod aſſeuerat Puteanus, docui ipſe in mea Sphæra Italice conſcripta lib. 8. cap. 14. vbi demum hæc allata demonſtratio. Si duo homines eadem velocitate, qua Sol, ambiant Orbem ſub Aequatore, vnus

vnus ad ortum, ad occaſum alter, amboq; ineant iter in Meridie, dum Sol videlicet eorum verticem tangit; confecto ambitu locus, vnde iter inierunt, diem vnum computabit; Sol enim ad ipſius verticem ſemel regreſſus; qui ad ortum proceſſit contra Solis curſum duos numerabit, cum Sol ad eius verticem bis remearit, in fine ſcilicet ſemicirculi, & in fine circuli, quorum quilibet die naturali, quem artificialem vocant, ſex horarum, totidemq; horarũ nocte conſtabit; qui cum Sole ad occaſum perexit, nullum numerabit diem, cum Sol ab eius vertice numquam diſceſſerit. Et ſi dimidio tardius quam Sol Orbem circumeant, peracto circuitu locus, vnde iter ingreſſi ſunt, duos, qui ad ortum tres, qui ad occaſum vnum computabit diem, ſi triplo tardius, locus tres, qui ad ortum quattuor, qui ad occaſum duos, & ſic ſemper hæc differentia dierum, vt ibidem latius oſtendi, & docent omnes, qui de hac re pertractant, ſed præcipue Ludouicus Molina ſuper p. p. D. Thomę in Tract. de opere ſex dierum Diſput. 8. id egregie, & luculenter probat: qui tandem damnum nauigantium ad occaſum concludit his verbis. [Ex dictis iam facile erit intelligere, quod ſi nauis, quæ verſus Occidentem eſt profecta, integrum circulum conficiat; regrediaturq; Olyſſiponem, inueniet ab Olyſſiponenſibus computari vnum diem amplius, quam ipſa.] Et infra. [Quare ſi in regreſſu nauis fuerit Olyſſipone dies Dominica, ipſa ſecundum ſuam ſupputationem regredietur die Sabbati.] Lucrum vero nauigantium ad ortum hiſce alijs verbis concludit: [Eodem modo ex dictis erit facile intelligere, quod ſi nauis, quæ verſus Orientem eſt profecta, integrum circulum conficiat, regrediaturq; Olyſſiponem vna cum illa naui (intelligit, quæ ad Occidentem eſt profecta) ipſa computabit vnum diem amplius, quam inueniat computari ab Olyſſiponenſibus, & duos, quam alia nauis computaret. Quare ſi dies, in qua vtraque nauis regrediatur, fuerit Olyſſipone Dominica, ipſa regredietur feria ſecunda, ſeu die Lunæ ſecundum ſuam ſupputationem, cum tamen illa alia nauis iuxta ſuam ſupputationem antecedente Sabbato regrediatur.] Quid magis contrarium Puteani dictis dici, & concludi potuit? Hoc idem primo patuit experientia

nauis

Nauis Victoriæ, quæ cum Occidentem verſus iuxta Hiſpanorum nauigationem ad Indias totum Orbem circumnauigaſſet, regreſſa Hiſpalim die 7. Septembris aduertit, ſe vnum diem perdidiſſe, cum ipſa diem 6. computaret, vt refert Iacobus Mazzonius lib. 3. cap. 26. Defenſionis Dantis, aliæq; poſtea experientiæ comprobarunt, & quotidie comprobant. Quapropter valde miror, eruditiſſimum Virum, qui dies adæquare, & pares facere velit, dierum lucrum, & iacturam perperam accipere, referreq; acceptum quod expenſum, & expenſum, quod acceptum erat referendum. Et quod admirationem adauget eſt cap. 23. lib. 3. Hiſtoriæ Naturalis, & Moralis Indiarum Occidentalium Ioſephi a Coſta ab ipſomet Puteano in ſuum Libellum relatum: ex quo idem contra ipſum aperte conſtat, nam in eo dicitur, cum in Macao iuxta Iaponiam inſula dies Dominica eſt, in Luzonia Philippinarum inſularum præcipua Sabbatum computari, & ſic fieri de reliqua hebdomadis ſerie: inter quas duas inſulas vix centum milliaria numerari ibidem aſſeritur. Ad Philippinas enim Hiſpani occaſum verſus, ad Macaum, & Sinas Luſitani ortum verſus nauigantes, ſimulq; circulum complentes, illi ſuo ſemicirculo horis 12. amiſſis, hi ſuo 12. lucrifactis, ex quibus dies ciuilis coaleſcit, dierum computationes integro die differentes attulerunt, vt ipſe Puteanus fateri videtur pagina 16. vbi tamen in ſuo errore perſiſtens lucrum Hiſpanis non Luſitanis attribuit, dum vult, Philippinas vno decedere die, cedere vnum Luſitanis Macaum, & Sinas incolentibus; cum omnino contra fieri debeat Macaenſibus, & Sinenſibus vno præcedentibus, Philippinenſibus vero vno ſequentibus die, vt in eodem capite dicitur, ibidemq; apparet ex eo, quod ille P. Alphonſus e Philippinis ad Macaum appulſus ſupputatione ſua poſtridie Kalendas Maij, recitaturuſq; horarias preces in honorem S. Athanaſij deprehendit loci incolas Inuentionem S. Crucis celebrare; cum quintum Non. Maij inibi faſti exhiberent.

Hinc autem ſolui quæſtio poteſt, quare hæc dierum differentia in locis Romani Orbis non reperiatur, vt reperta fuit ab illo P. Alphonſo in locis noui Orbis, non longe inter ſe diſtanti-

bus: hæc enim differentia euenit ſolum ratione circuitus totius Orbis; & ideo nos eam non inuenimus noſtrum dumtaxat Orbem peragrantes, & terras, quæ horis tantum differunt in numeratione dierum, hoc eſt horis aliquot prius, vel poſterius diem incohant, & terminant: eam autem inuenit P. Alphonſus apud Antipodas, quia illuc Luſitani ad ortum, Hiſpani ad occaſum nauigantes, & vnum integrum circulum ſimul, vt dictum eſt, perficientes 24. horarum, vnius nempe diei diſcrimen quilibet ſuis calculis inuexerunt.

Hinc etiam patet, quomodo neceſſe ſit duo loca proxima, & continua diſcrepare vno die in numeratione dierum ratione totius ambitus Orbis. Nam cum Orientem verſus citius, tardius Occidentem verſus dies incipiant, atque deſinant, cumq; ſi duo loca diſtent quindecim gradibus, diſcrepantia ſit vnius horæ, ſi triginta gradibus, duarum, ſi circuli quadrante, ſex, ſi ſemiſſe, duodecim, ſi dodrante, octodecim, ſi toto circulo, vigintiquattuor horarum, hoc eſt vnius diei; ſequitur, vt cum vnus locus aliquem hebdomadis diem init, proximus alterum ineat, & duo loca, quæ nullo interuallo diſtant, vigintiquattuor horis, toto inquam die ſeiungantur, vt eleganter, ornateq. more ſuo demonſtrat Puteanus, & ipſe eiſdem litteris, quas ad te, Eminentiſſime Domine, de hoc Circulo Vrbaniano Italice ſcripſi, pluribus oſtendi, pleniuſq; docet Molina loco citato.

Errore igitur Puteani emendato, cum vnus dies ad ortum, progredientibus creſcat, decreſcat ad occaſum pergentibus peracto circuitu, & cum inter duo loca proxima, & contermina ratione totius circuli vnius exiſtat differentia diei, hoc eſt vnus dies tamquam diuerſi computentur, videamus, an ad hoc dierum diſcrimen tollendum, & ad certum dierum principium ratione totius Orbis conſtituendum ſit ponendus Circulus Vrbanianus a Puteano excogitatus, qui tranſeuntibus dierum numerum minuat, vel augeat, minuat inquam ad ortum, ad occaſum nauigantibus augeat, hebdomademq; illis in ſex contrahat, his in octo dilatet dies.

Vt meam igitur proferam ſententiam, cum hic Circulus præcipue ponatur à Puteano pro ſacrorum ordine, & vnitate ſer-

uanda,

uanda, ne ſcilicet vno, eodemque tempore hi diem vnum feſtum agant, illi alterum, ieiunent hi, carnibus veſcantur illi, hi recitent officium tertiæ feriæ, illi ſecundæ, vel quartæ, vt colligitur ex jis, quæ dicit pagina præſertim 12. cenſeo, ipſum non modo non neceſſarium, ſed ſuperuacaneum eſſe. Nam iſta vnitas, & ordo ſatis ſeruatur, cum illi, qui ad aliquem locum ſe conferunt, agere dies feſtos, ieiunare, officium recitare, & cetera ſacra facere debeant, quæ inibi ab incolis fieri compererint, iuxta illud, quod Auguſtino dixit Ambroſius, & refertur a Gratiano d. 12. c. 11. [Cum Romam venio, ieiuno Sabbato, cum Mediolani ſum, non ieiuno. Sic etiam tu ad quam forte Eccleſiam veneris, eius morem ſerua; ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi]& iuxta illud in hac materie valde tritum, ac diuulgatum.

Si fueris Romæ. &c.

Hinc Mediolanum aduenientibus licet comedere carnes, oua, & lactaria quattuor diebus ante primam Dominicā Quadrageſimæ, non autem Mediolanenſibus Bergomum accedentibus: hinc etiam, cum dies feſtus S. Bartholomæi in aliqua Diœceſi agatur vj. Kal. Sept. in alia vij. ad quam quis peruenit, eius conſuetudinem, & legem ſeruare, cuſtodireque debet. Plura hic diſputantur a Theologis: ſed, ne videar artem, quam profiteor, oſtentare, his ſuperſedebo. Humaniora nunc tractamus. Detur hoc ſaltem mihi, quod nemo neget, poſſe quemlibet in ſacris eum ſeruare ritum, quem Eccleſia, ad quam peruenit, catholice ſeruat. Ergo pro vnitate, & ordine ſacrorum ſupereſt Circulus iſte.

Et ſi quis ſaltem perturbationem ſacrorum abſque hoc Circulo futuram objiciat ob locorum, ad quæ quis accedit, diuerſam dierum computationem; cum diem feſtum, ieiunium, officium, & huiuſmodi aut omittere, aut iterare mutato die contingat: non ne idem continget, ſi tranſeuntibus Circulum, ſeu Lineam Vrbanianam demendus, vel addendus eſt dies? Duæ naues verbi gratia, vna ad ortū, altera ad occaſum nauigantes tranſiliant Circulum iſtum ineunte vj Kal. Ianuar. quo celebratur Natiuitas Domini; nonne quæ ad ortum præcidendo

diem bis vigiliam eiuſdem feſti agere, ac ieiunare, quæ ad occaſum diem adijciendo celebrationē Dominicæ Natiuitatis prætermittere cogetur? Quomodo igitur hoc Circulo [omnis temporum, ſacrorum, comerciorum, eliſo errore, ceſſabit confuſio, & ordine ſuo res humanæ vbique decurrent] vt inquit Puteanus pagina 5? Pro ambientibus Orbem hic Circulus potiſſimum confingitur: ſed Orbem ambientes quam diximus ſacrorum perturbationem, & confuſionem ipſo vitare non poſsūt.

Cum igitur ſacra mutentur pro ratione loci, ad quem quis accedit, vt iam diximus, cur non & dies, & alia? vt dubium non eſt, feciſſe illos Hiſpanos, qui naui Victoria circumuecti vno deperdito die Hiſpalim redierunt. Quis enim opinetur, in ſua voluiſſe dierum computatione permanere?

Atqui ſi delendus, vel intercalandus eſt dies, ne ab alijs diſcrepes in numeratione dierum, cur non expectes, quouſque ad eos peruenias? cum præſertim qui ex Orbe Romano ad illam Lineam Vrbanianam in Orbe nouo accedunt, horas dumtaxat 12. vel lucrifecerint, vel perdiderint: toto enim circuitu integer dies aut in lucro, aut in iactura.

Qui ergo ad Americam nauigant ſequantur faſtos illarum inſularum, ad quas appellunt, vt faciendum eſſet ex America ad nos appellentibus; & ſi illic dierum noſtrorum calculum nullum reperiant, ſuum introducant, vt fecerunt Luſitani in Sinis, Hiſpani in Philippinis; quem poſtea calculum obſeruent, ac retineant illuc accedentes.

Hinc neque etiam neceſſarium Circulum iſtum, ſeu Lineam Ἀρχημερινὴν indico ad conſtituendum hieraticum, ſiue ſacrum dierum principium, quod Puteanus hactenus deſideratum dicit. Puto enim, ſufficere dierum principium, quod ſinguli populi habent, nec quærendum, quinam primi, quinam poſtremi habeant, ne cum dies circulus ſit, vt inquit ipſe Puteanus, quæri videatur in ſcirpo nodus. Proinde Moſes totius naſcentis Mundi primordia narrans, eiuſque ſtructuræ dies enumerans reſpexit ad Paleſtinos, ſeu ad illum tractum terræ, quem primus homo inhabitaturus erat. Nam aliter dierum calculus non conſtaret, ſi diem accipiamus, vt diximus a principio, & fine

dubio

dubio Moſes accepit: vt etiam futilis, vanaque eſſet illa a Theologis diſputata quæſtio: Veriſne, an Autumni tempore ſit conditus Mundus, niſi Septentrionalis plagæ habita ratione, cuius rationem habuiſſe dicendus eſt Poeta, cum cecinit.

Non alios prima naſcentis origine Mundi
Illuxiſſe dies, aliumue habuiſſe tenorem
Crediderim. Ver illud erat, Ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

Numeremus ergo dies, vt ab Orbe condito factum eſt, ſitque illorum principium, quod ſinguli populi habent; & ſi quis terrarum Orbem circumeat, faciat, vt diximus ſupra. Sic enim effugiemus difficultates meo iudicio non leues, quas iſte Circulus habet; qui etiam paucis vſui eſſe poteſt; cum pauci ſint, qui totum ambiant Orbem; qua enim via itur ad Indias, eadem ferme remeari ſolet.

Nam primo ad dies, qui calculo diſcordant, æquandos mãcus omnino videtur: loca enim, quæ vltra, vel citra apud Antipodas diſſidentem numerationem dierum ex nauigantibus ad ortum, & ad occaſum iam acceperunt, hoc Circulo ad eandem numerationem reuocari non poterunt, vt ipſimet Puteanus de Philippinis ab Hiſpanis, & de alijs inſulis a Luſitanis trans eum detectis, & occupatis fatetur pagina 16. Adæquent ipſamet loca prima vice faſtos ſuos, dicet Puteanus, & poſtea Circulus adæquabit. Sed an quæ die præeunt adiment, vel quæ ſequuntur adijcient diem? Certe Puteano quę ſequuntur adhuc diem obliterare deberent, cum velit Philippinas diem cedere Luſitanis in Sinis die præeuntibus, vt ſupra vidimus. Quid ſi quælibet ſuos velint retinere faſtos? Quomodo hæc controuerſia in locis tam remotis, & quorum tenuem, obſcuramque notitiam habemus, componetur? Quid ſi duo loca vnus vltra, alter citra hunc Circulum apud Antipodes concordent in faſtis, cum ambo vel a nauigantibus ad ortum, vel a nauigantibus ad occaſum eos acceperint, & ex ipſis locis duæ naues, vna in ortum, altera in occaſum ſoluãt, & nõ tranſeundo Lineam, apud nos mutuo ſibi occurrant, & ad loca, vnde ſoluerunt, regrediantur; altera videlicet ad locum alterius, non ne dierum computationem

inter ſe, & a locis diſcrepantem habebunt? Vel quid ſi duo loca, vnus itidem vltra, alter citra hunc Circulum apud eoſdem Antipodes diſcordent in faſtis, & ex ipſis locis duæ naues, vna ex loco, qui die alterum ſuperat, ortum verſus, altera ex loco, qui die ſuperatur, occaſum verſus ſoluant, & Lineam ipſam non tranſiliendo, apud noſtrum Orbem ſibi inuicem obuiam fiant, & ad loca, vnde ſoluerunt, reuertantur, vt dictum eſt ſupra, nonne dierum computationem inter ſe, & a locis magis adhuc diffidentem duobus, nempe diebus, habebunt? Etenim tantum inferne huic Vrbaniano Circulo eximendorum, & adiungendorum dierum ius traditur a Puteano ob rationes, quas affert pagina 14.

Deinde hic Circulus, ſeu Linea Vrbaniana in loco vndique aquis oppleto, per quem illum ducit Puteanus eadem pagina 14. vix, ac ne vix quidem obſeruari poteſt a præteruehentibus. Arduum enim, ac difficile, & longi temporis negotium, locorum longitudines in noſtro etiam Orbe inuenire: quomodo igitur in tam vaſto maris ſpatio a nauigantibus inuenietur? Quo ſigno huius Circuli longitudo, ſituſq; tandem inuentus alijs poſtea denotabitur, vt dierum numerum varient, hebdomademque aut in ſex, aut in octo mutent dies? An

——— *labor omnibus idem*.

Præterea Puteanus hunc Circulum apud Antipodes non ſolum ſacrorum dierum ciuilium principium, ſed etiam verum Orientis & Occidentis terminum facit. At niſi limites ſe ſigno aliquo prodant, parum prodeſſe poſſunt. Imaginarius eſt circulus, & Meridianus: ſed alij Meridiani certis ſubiectis terris, vt alij Sphæræ circuli acceſſu præſertim, ac receſſu Solis, deſignantur: illic autem

——— *non amplius vlla*

Apparent terræ: circum vndique, & vndique pontus.

Vt Vergiliano verſu complectar, quæ de huius Circuli loco dicit Puteanus. Neſcio vero, num ab ipſo longitudinis gradus numerari velit, cum ipſum terminum veri Orientis & Occidentis conſtituat. At hæc Geopraphiæ perturbatio Geographorum, ni fallor, reclamationem excitabit.

Deni-

Denique huius Circuli longitudo ſuperne ponitur a Puteano grad. 110 min. 30. Sed cum ſit Vrbis Romæ Meridianus, ideoq; tamquam circulus maior Sphæram, & Aequatorem, in quo longitudinis gradus numerantur, diuidat in duas partes æquales, quarum quælibet eſt grad. 180 habeatq; præterea ſuperne grad. 36. præter minuta; tot enim longitudinis gradus Romæ aſſignantur, ſex gradus amplius habeat oportet, quam illi a Puteano aſcribuntur.

Plura de hoc Circulo adhuc diſſeri, & examinari fortaſſe poſſent: ſed hæc ſatis ſint: ne videar ad opponendum potius, quã ad ſenſum meum exponendum hæc diſputanda ſuſcepiſſe. Quæ vero de Paſchatis die ſubducuntur a Puteano, cum ad Circulum, cuius cauſa hæc inſtituta eſt diſputatio, non pertineant, & longiorem, moleſtioremque poſtulent inquiſitionem, omnino tacita præterire decreui. Hæc autem, quæ a me dicta ſunt, ſi ipſi Puteano, ceteriſque doctis viris aliquid ponderis habere videbuntur, lætiſſimus erit lucubrationis fructus: ſin minus, ea veritatis amore, & tibi, Eminentiſſime Domine, obſequendi gratia diſceptaſſe non pœnitebit.

AD LECTOREM.

POST impreſſionem huius CRISIS viſum eſt Circulum Vrbanianum Louanij impreſſum hic etiam imprimendum curare, omiſſis tamen epiſtolis, & alijs illi inibi adiunctis, vt poſſis, Lector, hoc, illaq; lectis rei veritatem facilius elicere. Sed aduerte, Circuli paginas, quæ citantur in CRISI, eſſe Louanienſis impreſſionis.

ERYCI PVTEANI

CIRCVLVS VRBANIANVS

SIVE

LINEA Αρχημερινὴ:

Qua Dierum Civilium Principium Hieraticum, in Orbe hactenus deſideratum, conſtituitur.

AD maieſtatem Eccleſiæ Catholicæ facit, Divina in Orbe terrarum Officia ordine ubique celebrari. Ordo tempore definitus eſt: tempus ſeptem dierum Civilium laterculo decurrit; quæ hebdomas eſt, & Harmonica Planetas ratione continens, profana maluit nomina religioſo in ferias numero commutare. Quandiu Antipodes ignorati, vel neglecti fuere, noſtro νυχθήμερον Hemiſphærio clauſum fuit, & abſcondi error potuit. Principium terræ, Principium diei erat. Ab Indis & Gange,

—— *vbi ſe primis extollit Phœbus ab undis,*

Paullatim per Perſiam, Syriam, Græciam, Italiam, Hiſpaniam in Oceanum vectus, mergi aquis creditus eſt, quemadmodum ex aquis emerſerat. Verumenimverò poſtquam, patefacto vndique Orbe, gemina ad Antipodes via itum eſt, & circumduci à navigantibus dies cœpit; habere initium ſuum deſijt, ac ne finẽ quidem invenit. Terra enim, vaſtis quam ubique ſpatijs finibuſque mare interluit, circulus eſt: ſed nullum in circulo principium eſſe, nullum finem (quia vbique incipit deſinitque) ratio figuræ oſtendit. Etiam dies circulus eſt, & Sol ad ſe rediens dies eſt, qui vbique naſcens ac denaſcens, ſummum ubique & imum

cælum

cælum occupat; cùm & toto vbique ambitu ſibi reddatur, nul-
lum agnoſcit terminum, vt quemcumque admittat. Omnes
quidem qui hunc globum homines incolunt, diſtinctis velut li-
neis, vt ortum ſuum, & occaſum, ita meridiem & mediam no-
ctem habent; & plerique iam a media nocte, Romano more,
initium νυχθημέρου computant: at quinam primi, quinam po-
ſtremi habeant computentque, & quo limite primi a poſtremis
ſeparentur, nemo adhuc ſtatuit: nemo, in qua parte O. bis pri-
mus ortus aut occaſus, primus meridies aut media nox collo-
canda eſſet, imò an eſſet, inquiſivit.

Liceat igitur in hanc mihi curam, tempora omnia ex tempo-
re computanti, incumbere; liceat, inquam, in Orbe principium
fixéque invenire; vt vbi primùm incipiat dies, qui vbique incipit;
& quò reductus tandem deſinat, qui ubique deſinit, loco & ter-
mino conſtituto, publicè decernatur. Quamdiu volvitur, qui
nunquam non volvitur, aliis, aliiſque incipit; ſed niſi incipere
alibi deſinat, ſemper incipiet, & vnus idemque apud omnes erit.
Incipiet verò, quia ſemel deſinet; & deſinet, quia rurſus incipiet,
ſemper locum, ſemel nomen uno circuitu mutans. Quid verbis
opus? Ex ſe naſci diem, citiuſque non eſſe, quàm non moveri di-
xerim. Nimirum quot Meridiani, tot eſſe initia poſſunt, quorum
omnium vnum aliquod ponendum initium eſt: id autem quia
ubique hactenus fuit, tanquàm nullũ eſſet, ignoratum eſt. Suum
enim ſinguli computarunt. Motu tempus, tempore motum ex-
pendamus, mora circuitum, circuitu moram. In quatuor qua-
drâtes, quorum ſinguli partes nonagenas habent, & viginti qua-
tuor horas, quæ æquales ſunt, νυχθήμερον diviſum eſt; qua qui-
dem ratione quindecim partibus horæ ſingulæ exæquantur.
Qui quadrante circuli à quocumque diſtant ortu, ſex horis tar-
diùs diem accipiunt; qui ſemiſſe, duodecim; qui dodrâte, octo-
decim; qui toto circulo, vigintiquatuor, id eſt toto die. Itaque
cùm poſtremi primum cujuſque hebdomadis diem, primi, qui
continui ſunt, ſecundum ineunt; cùm primi primum, poſtremi
ultimum: prorſus qui loco non diſtant, vigintiquatuor horis ſe-
parantur. Et an ulla tam lata vicinia eſt? totum terrarum cir-
cuitum continet; an ulla anguſtior? linea continetur. Iungun-
tur,

tur, vt ſic dicam, tempora, quæ disjuncta ſunt & in uno eodemque die duo numerantur. Sed ita ſe res habet: momento temporis vigintiquatuor horæ expungendæ ſunt, quæ νυχθήμερον cõſtituunt: niſi enim ejuſmodi detrimentum ſit, nullum eſſe initium poteſt; ac niſi ejuſmodi initium ſit, fruſtrà νυχθήμερον computamus. Sanè idem, ut inſinuavi, dies, quia nunquam deſinet, ſemper circumducetur; imò unus ille, quia ſemper incipiet, omnes unum faciet, omniſque temporis diſtinctio, ac numeratio peribit. Deprehendunt hoc arcanum, neque ſatis adhuc intelligunt, qui Orbem terrarum pleno labore emetiuntur; vel etiam qui apud Antipodes contrario ſibi itinere occurrunt. Etenim ab ortu in occaſum navigantibus dies vnus vno circuitu in lucro eſt; ab occaſu in ortum, unus interit. In occaſum, id èſt cum Sole, quod Hiſpanorum, novas terras quærentium, iter fuit: in ortum, id eſt adverſus Solem, quod Luſitanorum. Hoc diſcrimine quia ad Antipodes lati ſunt dies, nec terminus ſervatus eſt, confuſi ſunt: Sacrorum autem ratio, quæ dies ſequitur, obtinere temporis ordinem non potuit.

Quid igitur? Remedio opus, ut mundus tandem dies accipiat; confuſio, error, hallucinatio tollatur; imò vt dies ipſi lucem accipiant, tenebræ autem, quæ confuſionem, errorem, hallucinationem adtulere, evaneſcant. Adhuc qui Orbem terrarum circumnavigant, & poſt quindenas ſingulas partes hora vna, poſt trecenas ſexagenas toto die tardiora, vel maturiora habent tempora; mirantur alium ſe, confecto ambitu, invenire diem quàm adferant; ignorant interim, diem unum ætati ſuæ vel adjectum, vel demptum ea navigatione eſſe. Remedio, inquam, opus: CIRCVLO novo opus, quem VRBANIANVM; LINEA nova, quam Ἀρχημερινὴν appello. Circulus ille autem per utrumque polum, Meridiani inſtar, ducendus, principium dierum civilium hieraticum, hactenus in terris deſideratum, ac finem exhibebit, divortium & copulam, ſpatium ac dimenſionem. Quippe integrum in ſe νυχθήμερον, totamque temporis inæqualitatem recepturus, demet tranſeuntibus, quantum unus in occaſum circulus addit; addet, quantum vnus in ortum eripiet. Oportebit verò, eum qui hanc Lineam tanget, momento tem-

poris de die in diem tranſilire, tanquàm augere vel imminuere ætatem poſſit: compendio quidem viginti quatuor horarum, ſi adverſus Solem ierit, pari damno, ſi cum Sole. Hac enim ratione qui tota in occaſum navigatione acceſſurus erat dies, expungetur; qui contraria in ortum inſumendus, recuperabitur: hebdomaſque vel in ſex contrahetur dies, vel in octo exibit.

Ad nomen venio, non infimum rei pretium, ſi myſterii decus etiam amœnitate cenſeatur. Sed quod majus ſanctiuſque, quã ab VRBANO? Sanè VRBANIANVM vocari hunc CIRCVLVM, ad felicitatem ſeculi denotandam faciet: & quem Sphæræ omnes deinceps recipient, homines ipſi publico ſibi beneficio datum ab VRBANO VIII. Pontifice Opt. Max., ad Orbem illuſtrandum nato, agnoſcent.

Reliquum eſt, ut de loco ſtatuatur. Per mare enim, non per terram hæc ducenda eſt linea, & per illum Orbis tractum, qui ab hominum conſortio quàm maximè ſeparatus, receptam hactenus conſuetudinem minimè turbaturus ſit. Maria in hac terræ mole præcipuè duo ſunt: Atlanticum, Europæ noſtræ à Columbo primùm apertum, priſca Oceani appellatione; & vaſtum illud, quod Americam à tergo claudit, incerto adhuc nomine, aut improprio, ut Αρχημερινὸν quoque, aut PHILIPPICVM, quia PHILIPPI Regis auſpiciis præcipuè navigatum, appelletur. Alterum quidem proximum nobis, & jam quaſi familiare eſt; alterum remotum, longoque, ſed tranquillo, per occaſum in Orientis inſulas ſpatio profuſum. Libratis vtrimque rationum momentis, remotum, proximo præterito, eligam, novum, ut ſic dicam, Oceanum, novæ aptum LINEÆ, novòque CIRCVLO, qui velut terminus Orientis Occidentiſque ſtatuatur. Mare, inquam, PHILIPPICVM, ſed ubi mare duntaxat eſt, nullis quantum fieri poſſit, terris inſuliſque impeditum; vbi libero impetu in extrema Septentrionis Auſtrique latera excurrit. Ne plura dicam; Natura ipſa & locum oſtendit, & longitudinem notat, partium CCX. ſcrupulorum XXX. Siqui Novam hic Albionem ſtatuunt, imperitè ſtatuunt. Citeriorem enim eſſe, quàm vulgò deſcribi ſolet, ac longo in Orientem intervallo recedere hanc Draci terram, quæ pro terra propemodum ha-

benda

ſtenda non eſt, accuratior obſervatio docuit. Naturam quoque ne urgeam, ipſa ad hoc mare navigatio ducit, in Orientem à Luſitanis, in Occidentem ab Hiſpanis directa: qui ſi mutuo & viciniore Americæ occurſu ſervaſſent terminum, videri poterāt jam tum dierum Lineam deſignaſſe. ALEXANDER quoque VI. Pontifex Maximus, cùm novo Orbem Circulo inter duos Reges divideret, magis litem componere, quàm ordinare Diem ſtuduit, Quid? ſit tam Romam, quàm Braſiliam reſpiceret, agebat, quod VRBANO VIII relictum eſt. Præterea, ut hæc conſtitutio eſt, nullam ferè perturbationem Orbis terrarum ſentiet; & tranquilli faſtorum manebunt calculi, quemadmodum Tranquillum Circulus noſter mare (Pacificum dicunt) occupabit. Paucæ tantùm Indiæ Orientalis inſulæ unum amittent diem; ut omnes, & ordine, quotquot hebdomade clauduntur, accipiant. Solę Philippinę, & ſiquæ ab Hiſpanis prætereà trans Circulum Vrbanianum detectæ, & occupatæ ſunt, uno cogentur die decedere: cedere unum Luſitanis, ut ſimul ab Oriēte accepiſſe hebdomadem videantur. Solido ſic quidem, æquabili, perpetuoq; nexu Orbis jungetur Orbi, & novus cedet veteri, ut maximum agnoſcat beneficium, quod maximè commune erit, & dies, dierumq́ue principium rectè tandem computet. Ad ſummam, CIRCVLVS ipſe Αρχημερινὸς à polo ſic utroque deſcriptus, ſupernè per urbem Romam tranſiturus, ſubmittet ſe VRBANO ſuo, ut nomen accipiat, & Æternitati conſecretur; imò ut legem accipiat, qua univerſus deinceps Orbis teneatur. Quam legem? De omittenda in Sacro Officio feria, ſiquis in Occidentem navigans, hunc limitem attinget; vel duplicanda, ſiquis in Orientem contrario iter curſu diriget. Linea lex erit, Roma rubrica & hanc lineam, hanc legem, hebdomade conſtituta, ſubibit Paſcha quoque; ille non dies tantùm, ſed dierum dies; Soli obnoxius, quia Dominicus eſt; Lunæ verò, quia Paſcha. Tria hic verò ſpectari ſolent; Æquinoctium, Plenilunium, ipſum denique Feſtum, ab utroque Religionis cauſſa ſemotum. In Plenilunio potiſſima difficultas eſt: quod cùm in unum certumque temporis punctum, aliam aliamque toto circuitu horam occupantis, incidat; non una quoque apud omnes hora cō-

putatur. Romanæ igitur urbis, & Plenilunij in Romana vrbe obſeruati (extremum præſertim ſabbati tempus attingentis) ratio habenda erit; ut ſi hic ritè Feſtum celebretur, nullibi vitium, etiam ſequente Plenilunio, videri poſſit. Omnes hoc modo, qui Orbem terrarum circumquaque incolunt, una inhabitare urbem, unum habere Meridianum dixerim. Omnes habebunt Paſcha, una Plenilunium; una dabit Paſcha, Plenilunium nonnullæ negligent. Vna Roma, adhuc Domina; ſed in ipſo nunc demum Orbis meridie conſtituta, & ſub VRBANO radians, tanquàm Solem mortalibus diſpenſet. Novum ſic igitur terris omnibus beneficium, novum ſphæris tabuliſque lumen veniet: lumen à die, qui à media nocte exſurget; beneficium ab VRBANO, qui diem nocti daturus eſt.

AVCTOR CRISIS
Ad Libellum.

Orbe dies toto quæras, cum ſacra, Libelle,
Nomina fronte feras lucidiora die.

H632
m619c
1-SIZE